

operatione entis nomen in eodem sensu convenire non potest diversis entibus , at proinde non est univocum . Hinc patet controversiam illam , quam nimis serio agitant aliqui , meram esse logomachiam , seu totam in nomine positam . Majoris utilitatis est sequens conclusio .

C O N C L U S I O .

Essentiæ rerum & attributa sunt absolute necessaria, immutabilia & æterna, modi vero sunt hypothetice tantum necessarii, mutabiles & non æterni.

Prob. 1 pars . Essentia est id , quod primum in ente concipitur & sine quo ens existere non potest ; sed primarium illud attributum , quod primum in ente concipiatur , absolute & in seipso consideratur , ergo essentiæ rerum sunt absolute necessariæ . Porro attributa fluunt ex ipsa essentia ; ergo posita essentia , necessario , & absolute ponuntur attributa , ac proinde & attributa sunt absolute necessaria : Sed quæ sunt absolute necessaria ea sunt immutabilia , ergo essentiæ rerum , & attributa sunt immutabilia ; quæ autem sunt immutabilia , & absolute necessaria , ea perpetuo fuere in intellectu divino : Deus autem est æternus , ergo essentiæ rerum , & attributa absolute necessaria & immutabilia ab æterno fuerunt in intellectu divino , ac proinde essentiæ rerum , & attributa sunt absolute necessaria , immutabilia & æterna .

Prob. 2 pars . Ideo modi actu existunt in